



1.
1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.
11.



1725.

1. Alberti, Michael: De medicina Christi divina et miraculosa.
2. Alberti, Michael: De potestate diaboli in corpus humanum.
3. Alberti, Michael: De medicinae cum geographia nexu.
4. Alberti, Michael: De initio mensium initio morborum.
5. Boetius, Jan. Jan. Ferd: De spuria filiarum nobilitate a successione exclusarum legitima disserit. simulque ad lectio-
nes suas hoc semestri habendas invitat.
- 6^{art}₂ Boetius, Ferd. Henr: De majestate imperii magistratuum
majorum. 2 Sampl. 1725: 1735.
- 7^{art}₂ Boetius, Ferd. Henr: De poena jus sibi dicentes sine
judice. 2 Sampl. 1725: 1735.
8. Coschitz, Georg. Daniel: Empyema spurium ~~afflicta~~
perpensis.
9. Coschitz, Georg. Daniel: De empyemate
10. Coschitz, Georg. Daniel: De origine hydropica uteri mole
simul laborante.
11. Hoffmannus, Fredericus: De mirabili lactis asini in mendum
usu.

12. Hoffmannus, Fredericus: Observationes de cunctis et
praestantissimis vomitoriis usu.
13. Hoffmannus, Fredericus: Dissertatio inang. medica. . . .
tractans aegrum hydrope ex quartana leprosa et asthete.
tum.
14. Hoffmannus, Fredericus: De seri lactis virtute longe
saluberrima.
15. Hoffmannus, Fredericus: De mamma ejusque praestan-
tissimis in medicina usu.
- 16^{ant} = Hokeisel, Dan. Fider.: Utrum successori singularis
expellere queat conductorem? 2 Sept. 1725. 1735
- 17^a = Hokeisel, Dan. Fider.: De retorsione juriim statutariorum
variantium nec aequa, nec prudente.
- 17^b = Hokeisel, Dan. Fider.: De retorsione juriim statutariorum
variantium nec aequa, nec prudente (cui necesse).

De concursu duarum causarum ~~lucrativorum~~ in eandem
rem et personam)

18. Heiseel, Ven. Frid: De specificatione.

19^a = Heiseel, Ven. Frid: De concursu duarum causarum
lucrativorum in eandem rem et personam. 2 Sept.

19^c = Heiseel, Ven. Frid: De concursu duarum causarum
lucrativorum in eandem rem et personam.

[Faint, illegible handwriting in a cursive script, likely a historical document or letter.]



1

1725/12

D. MICHAELIS ALBERTI
SACR. REG. MAJEST. BORUSS. AULICI ET
CONSISTORII MAGDEB. CONSILIAR. MEDIC.
ET PHILOS. NATUR. PROF. PUBL. ORDIN. &c.
H.T. FACULT. MEDIC. DECANI

PROPEMPTIVM INAUGVRALE
DE
VENÆ SECTIONE
JUNIORUM.

6.56.

M. E. 2-18



Necessitatem non habere legem, Augustini est dictum in *Solitariis* cap. 2. §. 2. cui multi subscribunt: quin hæc conditio omni ferme tempore omnium facultatum Viris adeo innotuit & inclaruit, ut *durum tulum necessitatem* judicaverint; hinc *Galenus in Libr. de Historia Philosophica* cap. *negi avd, uns* de Thalete profert, quod *validissimam* nominaverit *necessitatem, cum universo dominetur*: sicut *Seneca Lib. II. de Benefic. cap. 18.* de eadem testimonium perhibuit, quod *tollat arbitrium*: Hæc consideratio multis in occasionibus ad Medicum forum applicari potest: Et ne in diffusam excurram disquisitionem, specialem illam hoc loco in proscenium ducere lubet meditationem, quam sæpe singularia medicorum auxiliorum specimina ferme extra artis regulas commendare dira & dura illa postulet necessitas: etenim morborum qualitates ita comparatæ esse solent, ut vix levissimam concedant moram, quin illis ambiguo, ut videtur consilio & auxilio aliquando obviam ire conveniat: De sola *Vene Sectione*, utpotè cæteroquin heroico remedio, pauca hæc occasione præfari in animum duxi, de qua passim diversæ speciales quæstiones & indagaciones in schola Medicorum proponuntur: ex mea parte aliquas illarum publicæ & solenni tali occasione selectis thematibus comprehensas, brevi commendatione exposui, quarum una de *Vene Sectione Senum*, altera de *Vene Sectione Infantum & Puerorum* disseruit: sed cum talium thematum adhuc plura in praxi medica, perquam utilia, speciali scrutinio se subjiciant, ita nunc brevi commentario **VENÆ SECTIONES JUNIORUM** explicare lubet, non nescius quidem, quod interdum talia magni momenti auxilia in necessitatis casu citra metum, quin verius cum speciali spe, tam in infantibus, quam senibus aliisque juvenibus ferme promiscue usurpentur, sub præcipiti illa confidentia, quod vel sua sponte tales vasorum sanguiferorum rupturas præstiterit natura, qualia exempla ab *Hæschetero decad. 2. cas. 7.* & in *A. N. C. dec. 1. an. 3. obs. 54. an. 4. obs. 72. dec. 2. an. 6. obs. 166.* recensentur, unde evenit, ut qui indiscreto Patrocinio V. Snes sovent, nullum respectum ætatis, sexus, temperamenti, temporis, vitæ generis, climatis, virium &c. habeant, sed cæco ausu illas ordinent, uti vicissim hujus auxilii

xilii adversarii promiscuum anathema in illud conjiciunt, prout *Helmontius in lib. de Febb. cap. 4. §. 14. 33. infantum & maledictum subsidium* illud esse judicat: Hujus V. Snis usum contra Helmontium defendit *Stephanus Piccolus in Examine medico V. Snis & purgationis. vid. Act. Erud. Lips. Supplem. 3. p. 83. ita Herveyus in arte curandi morbos expectatione*, illam Medicinam, quæ V. Sine utitur, *laniarum* nominat. Neque porro defunt, qui perinde promiscue illas V. Sines æstimant & non nisi plebejo præjudicio de iisdem sentiunt, quando præcipue vulgò judicant, quod V. Sio ad extremum differenda sit periculum, quia illa primum instituta, ex mortis faucibus eripiat, quæ opinio deliberato studio & instituto examinata fuit a *Schapero* in aliquo *Medicina curiose specimine. conf. etiam A. N. C. dec. 2. an 10. obs. 64.* qua posteriori observatione indicatur, quod vir quidam ad primam V. Snem interierit: Quod vero præsentem jam scopum attinget, mox reminiscor illius *Galenii* effati, quod in ejusdem *Libro de Sanguinis missione* occurrit, quo ante *decimum quartum & post sexagesimum etatis annum sanguinem non mittendum esse* præcipit, adeoque hoc testimonio certum terminum constituere videtur, quo artificialis sanguinis subtractio committi potest; proinde vero in mentem incidit, quod *Joh. Raymund. Fortis in Consultat. & Respons. Med. Cent. 2. cas. 39. p. 169. a.* de hoc *Galenii* asserto profert, ubi dicit: *hoc tamen exceptionem admittit, longa & quotidiana experientia confirmatam, in Senes robusta & boni habitus puero; non enim meriende vires amissæ, dixit Galenus l. c. 15.* Quando vero sanguinis sive spontanea, sive artificialis evacuatio non levioris negotii res est, ita in physica & medica consideratione multum refert hujus excretionis legitimam ordinationem & moderationem nosse, siquidem promiscuus illius usus non nisi communia parit opprobria, ut cum imperito abusu, justos ejusdem usus indiscriminatum rejiciatur. Quando itaque de *Juniorum V. Sine* mihi nunc sermo est, tunc ad hanc ætatis periodum non infantia & pueritia, sed adolescentia præcipue terminum a decimo quarto ad vigesimum primum ætatis annum abeuntem, refero: qua declaratione jam facta, planior & plenior inde elicenda erit quæstio, *an homines a duodecimo ad vigesimum ætatis annum facile Venæ Sectioni se submittere queant?* Nunc qui-

quidem in decidenda hac quæstione, illa præsupponimus argumenta, quæ in Infantibus & Pueris artificialem talem sanguinis subtractionem modo admittunt, modo respiciunt, quorum in *Programmate de V. Sine Infantum & Puerorum* mentio facta fuit; quam ob rem jam propius ad præsentis thematicæ ætatem animum dirigere lubet: Quare in hoc argumento practico sequentes subordinatæ quæstiones erunt ventilandæ: *an Primo junioribus hominibus utriusque sexus nunquam V. Sines concedende?* Deinde *an facile illis hæc sint suadende?* Porro *an sæpe iisdem sint ordinandæ, & denique an rectius curatorio, quam præservatorio scopo illis sint permittende?* Haud quidem iterata vice annotare lubet, in qua medica relatione V. Sio secundum regulas artis consistat, quam considerationem aliunde præsuppono, & propterea mox ad specialem applicationem in decidendis propositis casibus accedo. *Primam* itaque quod attinet quæstionem, tunc varii in praxi medica occurrunt casus, in quibus necessitas in hac ætate tempestivam urget sanguinis missionem, dum vel in excessu peccantes Hæmorrhagiæ, vel subito suppressæ salutare & spontaneæ sanguinis evacuationes, vel valde præjudiciosus status plethoricus, vel periculosa nobilium partium & regionum inflammationes, vel alii fontici, ex urgente plethora & suppressis salubribus Hæmorrhagiis nati, morbi, eandem indicant & admittunt: præcipue vero in sequenti sexu valde anomalus initians Mensium status, cum ominosa uberrate sanguinis & præjudicioso morbofo statu complicatus, talem opportunam sanguinis ventilationem urget: quando porro prægressæ spontaneæ salubres Hæmorrhagiæ vel ex gravi animi pathemate, vel aliunde subito & pertinaciter suppressæ sunt, proinde etiam eadem contumacia relictus, plethoricus vero status perquam suspectus est, tunc æque tempestiva artificialis sanguinis imminutio & necessaria & fructuosa est, cum vicissim ex utriusque tam spontaneæ, quam artificialis, illius ventilationis neglectu periculosi ut plurimum emergant affectus: Et talis V. S. aliquando in ejusmodi ætate adeo necessaria existit, ut illius tardior administratio non modo nullum commodum, sed certius periculosum inferat damnum: quemadmodum in Praxi medica talia constant exempla, ubi serius in præsentis thematicæ

tis

tis ætate inflicta sanguinis missio acutas provocavit febres, quando jam antea materia, ad eliciendam talem febrem idonea, fuit genita, cui per febrilem motum & tympum expugnandæ, illa ex V. Sine orta motus sanguinis minus commoda & opportuna alteratio ansam suppeditavit: tanto magis vero in tenera adhuc tali ætate ob prædictas rationes V. Suis utilitas inclarescit, quo magis ejusmodi juniores personæ a plethoricis, subinde etiam sanguinis commotionibus & emotionibus adfuetis, genitæ fuerunt parentibus, in quibus proinde hæreditaria proclivitas, non modo ad copiosorem sanguinis formationem, sed & ad efficaciorum illius evacuationem admodum conspicua & operosa est: præterea V. Suis necessitas tanto magis in naturis calidioribus, agilioribus, ut & subjectis plenæ atque lautæ diætæ addictis, animi commotionibus frequentius & intensius obnoxiiis & in climate fervidiori degentibus, innotescit; quæ singulæ circumstantiæ uti impetuosiorum sanguinis commotionem etiam in tali ætate denotant, ita opportunam illius commoti & superflui sanguinis ventilationem indicant: Exinde itaque patet, quod huic juniore ætati non omnimode & promiscue V. Sio denegari & prohiberi queat. Quod vero *Secundam* questionem concernit, tunc huic ætati V. Sio non levi animo commendanda erit; etenim quantum pro circumstantiarum ratione fieri potest, agilior talis ætas, non facile cum ejusmodi magni momenti medicis auxiliis in aliqualem naturalem socordiam, torporem & neglectum seducenda est, siquidem facile in vitali œconomia æque ac in moralibus negotiis evenit, ut præmaturum & minus exacte necessarium auxilium animum ita emolliat & obfopiat, ut imposterum suis ordinariis negotiis minus libere, minusve expedite fungatur: quapropter in levioris gradus morbis vix consultum erit, ad tale auxilium confestim confugere, præcipue quando rationalis spes facilioris spontanæe redintegrationis sub congruo animi & corporis regimine, nec non sub convenienti diætâ affulget; quemadmodum moderatus & placidus status plethoricus, tenior spontanearum Hæmorrhagiarum retentio, aut cunctata illarum repetitio, sub reliqui tranquillioris temperamenti connubio minime præcipitatum talem V. Snem urgent: & dum junior ætas ob reliquum

suam naturalem vigorem, agiliorem vitam & fluidiorem sanguinem facilius, quam alterius ætatis periodus in spontaneas Hæmorrhagias inclinat, ita minime prætentato & præjudicioso officio natura turbanda, neque a suo libero ordine seducenda, sed in illo rectius conservanda est: etenim hæc ætas non modo perquam sensibilis, sed seductioni valde obnoxia est, ut propterea facile ars naturam confundere & corrumpere queat: imo quemadmodum in uno negotio per artificialis medii usum ipsius officia præoccupata fuisse, ita vicissim facile aliarum functiones ad vitam & sanitatem spectantes in talem mollitiem & tergiversationem conjici & seduci solent, ut hujus ætatis subjecta præmatura debilitate relaxentur & in valetudinarium statum ob præmaturum minusve necessarium medicorum auxiliorum usum, transferantur. Sicut porro spontanea morborum therapia, præ artificiali insignem habet prærogativam, ad illam proinde junior, flexilior & vivacior ætas magis apta est, ita male huic ætati consulitur, quando præmature & extra necessitatis gradum & casum sanguinis missiones ordinantur: quid quod plane evenit, ut quando in leviori anomalia Hæmorrhagarum spontanearum salubrium, hoc remedii genus contestim applicatur, proxime eadem Hæmorrhagiæ pertinacius subsistant, ut ægerrime sponte revertantur & difficulter in ordinem & successum duci queant, imo ut in futurum commotiones eluctatoriarum & varii ominosi sanguinis impulsus & translationes non modo frequentius recurrant, sed & acerbius & pertinacius affligant, pristinumque artificiale remedium expectent atque urgeant: quam observationem exquisite practicam, ut ad specialiores casum applicem, tunc in sequiori sexu compertum est, quando ad leviores Mensium anomaliam accelerato tentamine V. Sio ordinatur, inde quidem morbosæ quædam afflictiones quadantenus demulcentur, sed sæpe facies rei & totus processus ita pervertitur, ut graviores consequantur irregularitates, quæ non nisi palliativa sanguinis missione per aliquod temporis spatium mitigari possunt, quæ tamen cum tempore accrescente, non modo accrescunt, sed tandem ulteriori V. Snis iterationi minime obtemperant. Ex hæcenus dictis facile fundamentum communis illius diæterii inclarescet, quod V. Snes infir-

firmas aut debiles reddant naturas, quod uti promiscue acceptum, veritati minime consonum est, ita tamen ex parte aliquid veri continget: Juris enim ac ordinis naturalis positivi est, ut junior ætas suo virium vigore vitæ ac sanitatis animalis studio inhæreat, ne alienis & extraneis auxiliis pretiosum vitæ diadema committatur: sin secus negotia succedant & ars præmaturum suum officium naturæ obrudat, tunc contingit, ut natura in aliqualem segnitiam delabatur insuperque naturalem pristinam virium panopliam ob hanc indulgentiam & acquisitam molliem amittat, ob id etiam plebeja innotuit pathologia, man soll das junge Geblüth zu rath halten, quia vulgi opinio in sanguine vires occulto quodam modo latitare somniat, cum tamen causarum indoles & nexus alterius sit conditionis: interim in veritate facti assidua observatio assensum suum facile præbere poterit, quod secundum præmissas circumstantias præmaturæ sanguinis missiones, in juventute institutæ, omnino naturam enervent, præcipue vero valetudinarium statum concilient, negotium nutritionis quadantenus alterent, adeoque varios contrarios effectus inferant: An porro ex illo argumento V. Snem in junioribus improbare ratio & observatio postulet, quasi sterilitatem conciliet, non invenio, quo affirmativa annuam sententia, nisi specialissimæ plane circumstantiæ alium quæstionis statum formare permittant; Ex ejusmodi reservatis circumstantiis, illam magis evidentem hoc loco allegare consultum duco, quando in fœmellis in levi Mensium vitio inconveniens talis V. Sio suscipitur, indeque hoc Mensium negotium per eandem V. Snem plus offenditur atque turbatur, hinc evenit, ut in subjectis, præcipue sensibilibus & in irregulares animi atque corporis commotiones magis pronis, tanta oriatur in officina generationis confusio, videlicet præjudiciosa fibrarum strictura, ominosa motus progressivi perturbatio, perversa humorum secessio, quæ aliquando cum albo fluore se exferit, incongrua & ominosa modo humorum congestio & conjuncta stagnatio, modo fibrarum spasmodica strictura, ut sub ejusmodi exorbitante œconomia in uterinis locis haud difficulter facultas concipiendi evanescat, cujus considerationis testimonia & observationes attenta praxis medica facile subministrat: neque arduum aut alienum erit
simi-

similem effectum in masculino sexu monstrare & probare, videlicet, quod a V. Sae in juniori aetate, minus necessaria, natura adeo aliquando debilitetur, ut in generationis negotio singularem experiatur defectum, id quod ex anomaliis Haemorrhagiarum Narium probatu haud difficile erit: est quoniam hoc thema, de talibus anomaliis differendi, admodum diffusum est, propterea suffecerit ex ipsa practica observatione tale morborum status schema indicasse, ex quo sub prudenti limitatione V. Sae in junioribus, haud facile approbari poterit. Sed *Tertia* nunc quaestio brevibus erit perpendenda: de frequentia itaque hujus V. Sae sententia quaedam erit ferenda, an illa juniori conducatur aetati, de qua illud pro meliori declaratione significandum est, quod tenor praestimonis curatorium aequae ac praeservatorium illius concernat usum: non quidem exquisitae rationales, sed magis aut empiricas, aut aequivocas, aut accidentales illas aetate therapias, quae multis sanguinis missionibus administratae creduntur, quales in nulla aetate proficuas judico, dum suspecta inferunt consecraria: est cum haec observatio in praesenti loco non quoad principalem hujus thematis scopum decidenda veniat, ita neque eidem indaganda immorabor: illud tamen ad praesentem meditationem pertinere existimo, ut significem, quod saepe iterata V. Sae in Junioribus subjectis haud conducatur: si enim cum omni V. Sae in juniori aetate valde provide procedendum est, ita tanto minus frequentior illius usus aliqua commendatione dignus erit: non quidem hactenus multa argumenta et rationis fonte petere placuit, sed plurima ex ipsa attentae experientiae allegare consultum esse duxi, quoniam tota haec tractatio practica est, quapropter haud difficile erit judicare, si V. Sae in junioribus cum singulari conceditur limitatione, quod tunc eo minus facile frequens V. Sae in iisdem concedi queat, si summa urgeat necessitas: quidquod si circumstantiae permittunt, V. Sae, quae semel ex singulari necessitate administrata fuit, sub reliqua congrua subjecti tractatione rectius omittatur, quam in aliquem ulteriorem usum trahatur, si quidem iterum & naturae & artis magis conforme erit, vires & motus vitales in legitimum ordinem & successum ducere, quam ulteriori artificiosa therapia naturam seducere: Proinde ex praemissis notandum, quod levi causa & casu semel & pri-

primum instituta V. Sio sonricam alterationem naturali ordini inferat, quæ proinde non modo conservatur, sed & in ulteriora præjudiciosa accrementa conjicitur, cujus observationis e diversis notatu dignis, vel unicum specimen hoc loco atque nexu allegasse suffecerit: Juvenis quidam, medico studio operam dans, animo & corpore sanus, temperamento agili, videlicet sanguineo - Melancholico instructus, a pueritia Narium Hæmorrhagiis, satis liberalibus, cum optimo successu & euphoria præditus, subinde in mobili vitæ genere & plena Dieta constitutus, ante vigesimum ætatis annum ob aliqualem prædictarum hæmorrhagiarum & imminutionem & retardationem, moderatum capitis dolorem expertus, cui leniendo subito ad V. Snem refugium suum capessivit, inde vero contigit, ut præcedens largior sanguinis ventilatio e naribus in omnimodam suppressionem delapsa, hic juvenis vero ab eo tempore quasi tota sua natura immutatus & enervatus, proinde in varias morbidas afflictiones conjectus fuerit; quæ ex continuata V. Snc parum levaminis susceperunt: quodsi itaque juniores homines vel ex ardua levi causa V. Snis usui se submiserint, tunc in florente juventute metuendæ prævæ consecutiones magis animi moderatione, congruo regimine & apta dieta, quam frequentius repetita V. Snc intercipi possunt & debent: Merito itaque illi reprehensionem merentur, qui in tali flexibili & sensibili ætate ad dentium & capitis dolores & leves alias commotiones sanguineas aut unicam aut iteratam talem sanguinis subtractionem pro communi vulgi ore & more frivole admittunt, siquidem in causa mitiori magisque levidenti sæpius instituta sanguinis arbitraria aut artificialis evacuatio non nisi prævæ consecutione afferre potest, id quod tanto certius & citius evenit, quando in tali ætate modo e brachio, modo e pede sanguis subtrahitur: Quantum fieri potest, juniores homines non modo primam, sed & iteratam V. Snem congruo animi & vitæ regimine vident; etenim si huic ætati hoc remedio subvenire necessitas postulat, tunc œconomiz animalis ratio in tali ætate in ominosum degeneravit statum: Haud tamen ludere & indiscriminatim V. Snem in eadem ætate absolute negligendam & omittendam esse suadeo, si semel admistrata fuit, quin potius aliæ exquisitæ regulæ medicæ in consilium & usum vocentur. Ad *Ullimam* propero quæstionem, quæ brevibus adhuc erit ventilanda: Utraque itaque & Curatoria & Præservatoria V. Snc in necessitatis casu haud leve & exiguum commodum junioribus subiectis conciliari potest; proinde tamen utraq; in levioribus casibus eximum fanitatu præjudicium & magna virium ac reliquæ œconomiz vitalis æurba.

XX

turbatio afferri & provocari potest & solet: curatoria quidem V. Si-
citiorem alterationem causatur, quare extra necessitatis casum instituta
periculosioribus & emendatu difficilioribus consecutionibus ansam præ-
bet, siquidem ob eandem impostero talia subiecta affectibus præcipitis
decursus morbosus obnoxia redduntur, ni exquisito iterum temporis
intervallo fatalis sanguinis missio repetatur: altera vero V. Si in simili
casu videlicet extra singularem necessitatem exercita, ad contumacissi-
mas chronicas disponit afflictiones, quæ facilius in deteriorem gradum
& statum delabuntur, ni huic etiam degenerationi prudens artifex obi-
cem ponere sciat; quæ singulæ practicæ observationes si tempus & oc-
cassio permitterent, variis casibus & testimoniis confirmari possent.

Sed nunc abruptendum mihi & eo transeundum erit, cujus cau-
sa & occasione hanc practicam considerationem brevi explicatione præli-
bare & præmittere volui, siquidem publico nunc simbolo significanda &
commendanda erit honesta progenies, præclara fama & reliqua laudabi-
lis atque egregia vitæ, studiorum & officiorum ratio & conditio.

CLARISSIMI DNI IOHANNIS CHRI- STOPHORI FRIDERICI,

MEDICINÆ CANDIDATI DIGNISSIMI

Qui licem adspexit Roslæ, quæ *Illustrissimi ac Celsissimi* Dn. Comitis Stol-
bergensis JUSTI CHRISTIANI sedes est, Anno superioris seculi 1696. die
25. Julii, Patre Viro *Plurimum Reverendo & Amplissimo* Dn. JOH. JORDA-
NO FRIDERICI, Pastore Roslano Clarissimo Meritissimoque, jam ante
quosdam annos pie defuncto, & Matre Honestissima, virtutibusque sui se-
xus ornatissima ANNA ELEONORA, Nobilissimi & Amplissimi Dn. JOH.
CASP. GROSHELMII Justitiarii Præfecturæ Buhlenis in Comitatu Ho-
hensteineni spectabilis, filia dilectissima: Horum fidelissimorum suorum
Parentum sollicita & provida cura a teneris optime educatus & pietatis
fundamentis ac primarum disciplinarum rudimentis imbutus, mox sub
dexterrimo directorio Dni Parentis sui eo usque bonis scientiis enu-
tritus fuit, donec sub consortio aliorum honestæ stirpis, natorum a pri-
vatis præceptoribus latinæ linguæ & successive aliarum egregiarum sci-
entiarum artiumque liberalium rudimenta, quin ulteriora accrementa
bona, morigeræ & sedula mentis applicatione capessiverit: Jactis ita
primis disciplinarum fundamentis anno, præsentis seculi, nono & suæ æ-
tatis decimo quarto ex Gratiouissima indulgentia Illustrissimorum Domi-
norum Comitum Stolbergensium Dominorum suorum Clementissimo-
rum in Pedagogii, quod Ilfeldæ floret, ordinem, inque alumnorum nu-
merum susceptus fuit, ibique in secunda Classe sub Dn. Hartmanni, tunc

tem.

temporis Sub-Conrectoris fidelissimi manductione publica æque ac privata, in semel ingresso studiorum stadio felices fecit progressus: circumacto biennio primæ classis alumnis adsociatus fuit, in qua Celeb. Dn. Directoris *Joh. Nicol. Knekkii*, Rectoris munia tunc procurantis, privato & publico officio solida eruditione & laudabili instructione multo cum emolumento usus est: præterea Dn. *M. Gümberi* tunc Conrectoris & Dn. *M. Süssi* nunc Rectoris ibidem assidua cura ac benevola opera tam prosperos continuavit progressus, ut Anno 1715; suasu Venerandorum Dn. Præceptorum & Honoratissimorum cognatorum suorum in Illustrem Jenensium Academiam se contulerit: In hac sacrarum Musarum Palæstra de ineunda recta studiorum suorum ratione sub divino auspicio B. Celebrissimi *Wedelii* favorem omni ex parte fuit expertus, qui saluberrimis consiliis & studiorum benevolo regimine ipsi adstitit, cujus placido & annuente suasu in Philosophicis ex Clariss. *D. M. Buddei* pie jam defuncti doctissima manductione in Philosophia, præcipue quidem Naturali expotatos acquisivit successus; sed dum Medico se dicavit studio a Celebrili *Wedeliana* stirpe fidrentissimos collegit structus, quemadmodum per omnes Medicinæ partes sub fideli institutione laudatorum *Wedeliorum* præcipua suæ eruditionis jecit fundamenta: Celeb. enim B. Illustrem *Wedelium* de Materia Medica, de simplicium medicamentorum facultatibus, de præscribendis formulis, Semiotico-Pathologicum & in forma epistolari Casuale Practicum Collegium docentem audivit: Sub Excellentissimi D. Prof. *Slevogtii* Cura Sectionibus & demonstrationibus Anatomicis publicis & privatis interfuit: Excell. D. Prof. *Wedelium* Junioem, de natura Februm proficientem, attentis prosecutus est auribus. Excell. Dn. Prof. *Teichmeiero* in Anatomicis, physiologicis, chymicis, botanicis, questionibus medico-legalibus occupato æque parili solertia attentum se probavit & præbuit auditorem; tandem Excell. D. Prof. *Hilfschero* in chymicis, Semiotico-Pathologicis & privatissimis practicis studiis sedulum se obtulit Medicinæ sectatorem: Peracto hoc laudabili Academico curriculum tandem a dilectissimis suis agnatis in Patriam revocatus, quo pulchrum illum studiorum apparatus & thesaurum proprio nunc studio sub conciliatione intiantis tentaminis Clinici magis que ruminaret, insuperque cumularet, ubi dirigente divina Bonitate contigit, ut ex singulari amici ejusdam commendatione Celebrili & Experientissimo Medico Dn. *D. Kæneo* innotuerit, qui paterno affectu illum amplexus, & ultra quinquennium ipsum singulari plane favore, benevolentia, fide, consilio & propensione prosecutus est, cujus splendida merita publica & solenni hac occasione cum gratissima & admodum devincta concele-

brat

brat recordatione, huicque seni ac ornamento Medicorum omnem di-
vinam benedictionem & pro honorifica meritisimaeque ejus Senectute
viridem animi & corporis vigorem addicto & sincero apprecatur affe-
ctum: Sub hujus sui Fautoris benevola manu ductione uberrima ipsi af-
fuit occasio in Medica Praxi sedulo se probare exercitio, hac ratione eo-
susque in domicilio laudati Viri commemoratus fuit, donec ante biennium
Stolbergam se contulit, ibique annuente divina gratia proprio officio
& laudabili occupatione Praxeos usum prudenti & sedula applicatione
continuavit, omnique occasione, jussu & nutu Gratosissimo **ILLU-
STRISSIMI DOMINI COMITIS DE STOLBERG, DOMI-
NI SUI** Perquam **INDULGENTIS** ad quaevis officiorum genera se
paratissimum & ac obstrictissimum praebuit, unde factum, ut ipsi
Dignitas & officium saluti aulae invigilandi, munusque Medici aulici,
tanquam symbolum Comitialis Gratiae & peculiare ornamentum fue-
rit collatum: Tandem ad publicum officium, in Praxi Medica negotio-
sum, publico etiam Academico caractere instrui maluit: Accessit ita-
que hanc Regiam Fridericianam, nostroque Ordini suum aperuit pro-
positum, quare non modo consuetis tentamine & examinibus, sed & re-
liquis optimorum morum ornamentis talem se egregiis probavit speci-
minibus, ut facile ejusdem laudabile non modo vitae genus, sed simi-
lem studiorum cursum agnoverimus: quapropter ipsi aditus ad cathed-
ram publicam fuit patefactus, cum nulla nobis innotuerit causa, qua
promerita tales dignitates Academicæ eidem denegari possent, quin ve-
rius de selecta tali bonarum qualitatum indole, cui proinde a Divina
Clementia saluberrimos progressus cum constanti animi & corporis fir-
mitate & integritate apprecamur, omnia bona & salutaria oīnamur
conamina. Afulgebit itaque cum **DEO** dies, qui erit VII. Iduum
Octobres, quo Inauguralem suam dissertationem meo sub Praesidio *de
Therapie Morborum spontanea observationis necessitate & utilitate in
Medicina* publice defendet. Ad quem actum Academiae nostrae Pro-
Rectorem Magnificum, Illustrissimos, Illustres, Summe Reverendos, Ex-
cellentissimos, Amplissimos, Consultissimos, Experientissimos, Nobi-
lissimos, Doctissimos, Collegiorum Procures, Senatores, Cives, Hospi-
tes, quibus par est, officiis, humanitate & veneratione suspiciendos, of-
ficii nomine invito. P. P. Sub Sigillo Facult. Dab. Halæ VIII.
Nonarum Octobres. A. O. R. c1810ccxxv.

(L. S.)

ULB Halle

3


002 807 599



Sb.







1
1725/12

D. MICHAELIS ALBERTI
SACR. REG. MAJEST. BORUSS. AULICI ET
CONSISTORII MAGDEB. CONSILIAR. MEDIC.
ET PHILOS. NATUR. PROF. PUBL. ORDIN. &c.
H.T. FACULT. MEDIC. DECANI

PROEMPTIVM INAVGVRALE
DE
VENÆ SECTIONE
JUNIORUM.

6.56.

V. E. 2-18

